

DISSERTATIONIS PHYSICÆ

De

MAGNETE, EJVSQVE EFFECTIBVS.

§. I.

Cum veneranda in multis Antiquitas non tam ratione invenerit, quam fortuitæ Experientiæ sua, quæ literis tradidit, superstruxerit, sicque non paucis ansam & occasionem dederit in rerum veritates non unquam penitus inquirendi, verum potius sola auctoritate acquiescendi: Factum est, ut aliqui vel nefas duxerint sua propria ratione aliquid perscrutari metuentes, ne injurii in venerandos Senes fierent. Quod idem etiam publicis scriptis confiteri non erubuerunt. Sic subtilissimus suo tempore Scaliger non dubitavit asserere Aristotelem esse scientiæ humanæ Parentem, Exercit: cxxi. no. i. & aliis in locis: Aristotelis, inquiens, criminatos pecora censenda esse. Imo eo usq; devenerunt, ut veritate ostensa nihilominus dicerent fasces ingenii Aristoteli submitteudos esse, quia magnus fuisset Philosophus. Sic Galilaus scribit, se Medicum quendam convenisse, qui in præsentia multorum Studioforum in ortum & originem nervorum inquisiverit, & cum demonstraverit nervorum maximam quasi stirpem ex cerebro prodire & divaricari per totum corpus, quasi veritatem tandem ex Studio aliquo Peripatetico, in cujus gratiam majorem adhibuerat diligentiam, num persuaderi sibi sineret originem nervorum è cerebro duci, non è corde, ad quæ Philosophus ille cogitabundus aliquamdiu tandem responderit: Equidem ita clarè rem oculis subjecisti, ut, nisi textus Aristotelicus aperte nervos ex corde deducens obstaret, in sententiam tuam per-

A

tra-